



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor  
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et  
Divortiis, Dissertationes Tres**

**Meier, Johannes**

**Amstelædami, 1688**

Dissertatio Theologica Tertia De Repudiis Et Divortiis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40272**

DISSERTATIO  
THEOLOGICA  
TERTIA

DE

REPUDIIS ET DIVORTIIS



DISSERTATIO

THEOLOGICA

FEBRTIA

DE

REMPDHS ET DIVORTIIS



DE

## REPUDIIS ET DIVORTIIS.

*In hac Dissertatione ordine expendenda* 1. *Primæva Conjugii Institutio* Gen. 11. 24. 2. *Verba Mosis de libello Repudii* Dent. XXIV. 1-4. 3. *Phariseorum questio* Matth. XIX. 3. coll. cum cap. V. 31. *sive illustrium Scholarum Hilleliana & Sammaana sententia.* 4. *Christi decisio, & Pharisaica objectionis solutio* Matth. V. 32. XIX. 4-9. *Denique* 5. *Verborum Domini & Pauli conciliatio* 1 Cor. VII. 15.



Prolixè a Doctissimis viris dissertatum & disputatum super hoc argumento de Repudiis & Divortiiis, quæ vocabula nos non distinguimus, vel in primis ab illis, quibus cura fuit *Concil. Trid. Sess. XXIV. Canonem VII.* destruere, qui *anathemate* ferit eum, *quid dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, propter adulterium alterius conjugum juxta Evangelicam doctrinam conjugii vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem, altero conjugè vivente, aliud matrimonium contrahere non posse:* Inutile & tædiolum foret, Romanensium argumenta vel referre vel refellere, quod a Beza, Chemnitio, Spanhemio, Gerardo cæterisque gravissimis Theologis solide præstitum. Cum ex Hebræorum sententiis, Scholarum illustrium disputatione, Christi responso, & rei natura satis superque constet, divortium, de quo quærebatur, plenissimam fuisse matrimonialis vinculi solutionem, nec solum a thoro separationem; quod etiam invictis demonstrari potest argumentis, ex dictis Scripturæ Matt. V. 32. XIX. 9. 1 Cor. VII. 10. 11. 13. 15. nec non rationibus, Conciliis, & Patribus desumptis.

II. Neque etiam ad disquisitionem nostram attinent, quæ de variorum populorum usu, moribus, legibus & constitutionibus supremarum potestatum circa divortia traduntur, de quibus inter alios prolixè Seldenus *Ux. Ebr. Lib. III.* Sed propter argumenti affinitatem, & ut opusculum hoc integrum prodiret, in celebri illa



illa quaestione aliquid laboris impendendum esse, operæ pretium duximus, utrum ex jure divino præter fornicationem plures sint admittendæ divortii causæ? sicut Judæis Deus indulgit uxorem repudiare, quamvis nulla intercesserit fornicatio, & Paulus præter illam, aliam substituit, desertionem nimirum, & ita tolli docet obligationem conjugalem 1 Cor. VII. 15. Unde nonnulli suspicantur, verbis Christi non indigitari, sola fornicatione ad literam solvi matrimonium, sed una specie expressa, alias vel similes vel graviores etiam designari. De quibus ut ordine & succincte agamus, primo expendenda sunt verba primæ Institutionis Gen. II. 24. secundo verba Mosis de libello repudiî Deut. XXIV. 1-4. tertio scita & sententiæ illustrium Scholarum, sive Scribarum & Phariseorum quaestio Matth. v. 31. XIX. 3. quarto explicatio & decisio Christi ibid. Cap. v. 32. XIX. 4. 5. 6. 8. sq. quinto conciliatio Apostoli Pauli 1 Cor. VII. 15.

III. *Prima Institutionis verba enucleata sunt a nobis Diff. I. Sect. 1. Cap. II.* ubi inter alia annotavimus, individuam mariti & uxoris societatem hominibus commendari, quando dicitur, *vir adheret uxori suæ, eruntque in carnem unam.* Quo non tam animorum, quam corporum conjunctio designata est. Quemadmodum fœdera sunt inviolabilia, ita & conjugii inviolabile & indissolubile vinculum est, quod non nisi per mortem alterius dirimitur Rom. VII. 2. 3. ideoque pro lubitu solvi nequit. Et patriarchæ sancte illud servasse videntur, cum in Genesi non legantur uxores suas repudiasse.

IV. Transimus ergo ad *secundum* temporis intervallum, & institutum illud Mosaicum Deut. XXIV. 1. *כי יקח איש אשה ובעלה והיה אם לא תמצא חן בעיניו כי מצא בה ערות דבר וכתב לה ספר כריתת ונתן כירה ושלחה מביתו: Si ducta quis uxore maritus fuerit ejus; fueritque si non invenit gratiam in oculis illius (quia invenit in ea turpem rem aliquam) ut scribens ei libellum repudiî tradensque in manum ejus, dimiserit eam e domo sua. com. 2. Et egressa domo ejus abierit, & nupsit alteri viro: 3. Deinde odio habens eam hic vir posterior; scriptumque ei libellum repudiî tradens in manum ejus, dimiserit eam e domo sua: aut si moriatur vir ille posterior, qui acceperat eam sibi in uxorem: 4. Ne potestis maritus ejus prior, qui dimiserat eam, rursus ducere eam, ut sibi sit in uxorem, posteaquam per eum factum est, ut pollueretur, quia res abominanda est coram Domino: ne itaque permittito, ut peccet populus terræ, quam Jeho-*  
vab.



*Uah Deus tuus dat tibi in possessionem.* Ubi ante omnia notandum ne Deus diversum a prima Institutione præceptum dedisse videatur, prioribus tribus versiculis non nisi hypothefin sive casum narrari, Si quis uxorem duxerit, Si non inueniat gratiam, ideoque libellum divortii tradiderit & dimiserit, Si dimissa alteri nupserit, Si alteri viro iterum exota & ab eo dimissa, aut Si posterior ille moriatur, tunc illa lex datur com. 4. non posse a priore viro iterum duci. Nemo enim dixerit, verba illa וכתב ונתן, quæ cum particula ו cohærent & copulantur, *si scripserit & dederit libellum*, esse præceptiva sive imperativa, scribet & dabit. Conferantur similes casus & leges subnexæ Deut. XIII. 1. 2. 3. Si turgat propheta, si edat signum, ne auscultato verbis prophetæ illius. cap. XVII. 2-5. 14-20. Si ingressus fueris in terram, si dixeris &c. cap. XX. & passim. Ostendit ergo Moses, si quis uxorem ita dimiserit, & Deus hoc indulerit per conniventiam, minime vero approbaverit, quid tali in casu faciendum. Mosem autem non suo, uti nonnullis videtur, sed Dei nomine legem illam promulgasse, extra dubium positum est, quia fuit servus fidelis in tota Dei domo, ideoque non propria, sed divina duntaxat mandata dedisse censendus est. Quid verba illa, ונתן וכתב & לא תמצא ונתן, postea videbimus.

V. Quærit Clariss. Lightfootus in *Hor. Hebr. ad Matth. v. 31. XIX. 8.* quomodo inter se consistant lex lethalis, quam Deus sanxerit de adulterio morte mulctando Deut. XXII. 22. & lex repudiatoria cap. XXIV. 1-4. Respondet, non ita ut utraque vim suam retineat, sed prior fuit per posteriorem ex parte enervata, ex parte non. Novit divina sapientia inhumanos maritos ad sævitiam lege ista lethifera abufuros... Cavit ergo prudentissimus & etiam misericors legis lator, ut pœna sua non careret rea, & periculo careret insons, & crudelitatem suam non saturaret maritus nequam. Nec sibi arridere, ait, quod a non nemine dictum: *Repudio non locum fuisse, ubi capitali supplicio dirimebatur matrimonium.* Nam repudio locum fuisse eo fine, ut locus non esset capitali supplicio, legem istam lethiferam de adultero quidem capitis pœnam exegisse, at foeminae, vasi fragiliori lenius esse consultum. In causa ergo adulterii detecti licuisse marito uxorem dimittere, sed vix licuisse morte mulctare.

VI. Sed varia sunt, quæ obstant huic sententiæ. Et sane mi-



rari subit in hac assertione audaciam Lightfoti. Quis enim animam inducat, ut credat, legem contra adulteros & adulteras modo latam, mox fuisse ex parte enervatam, & in repudiatoriam mutatam. Ita enim Deus mutabilis videretur, & detraxisset aliquid legi, quod addiderat, cum disertis verbis Deut. xxii. 22. *Si quis deprehendatur, inquit, cubans cum muliere maritata marito, morientur pariter ambo, vir qui cubavit cum muliere, & mulier ipsa Lev. xx. 10. תאמרו ויהנאפה מות יומת הנאף והנאפה omnino morte plectitur adulter & adultera. Geminationo vocis מות יומת non caret emphasi. Ideoque mulierem maritatum cum viro conjugato nunquam absolvi judicamus ab illa poena adulterii, si ad Magistratus notitiam & tribunal venerit, & testes sufficientes adsint, ut legitime rea convinci queat; etsi privatus, adeoque maritus, obstrictus non sit scelera occulta sibi forte soli cognita revelare; cum ea plerumque in occulto committi soleant. Ita Talmudici in *Cod Kiduschin. Bab. f. 35.* tradunt: איש או אשה כי יעשו מכל חטאת האדם השוה הכתוב אשה לאיש לכל עונשים שכתורה: *Legitur (Num. v. 6.) Cum vir aut mulier fecerint ullum ex peccatis humanis: In omnibus poenis in lege relatis Scriptura foeminas cum viris exaequat. Item Exod. xxi. 1. Haec sunt judicia illa, quae propones eis. In omnibus judiciis Scriptura foeminam viro exaequat. com. 29. si bo interfecerit virum aut mulierem. In omnigenere mortis, quod est in Lege, Scriptura foeminam viro exaequat.**

VII. Huc etiam facit historia adulteræ Joh. viii. quam tempore Christi Pharisei adhuc lege Mosis lapidandam judicarunt. Adde Ezech. xvi. 40. Ut autem Doctissimus Lightfootus probabilem reddat suam sententiam, subjungit tandem, non meminisse se ullibi apud Pandectum Judaicum legisse exemplum aliquod uxoris morte mulctatae ob adulterium. Respondemus, neque hoc nobis mirum videri debere, cum tempore captivitatis Synedrium non ubique potestatem habuit, capitaliter plectendi. Id Elias ben Mose in *Tractatu de Sabbatho* docet, *Silocus sit, in quo nullum Israelitarum Synedrium, cui potestas sit judiciorum capitalium, constituitur, quemadmodum in tempore Captivitatis, tunc transgressor ejusmodi quisque & violator Sabbathi manibus Dei, seu a Numine puniendus est, sive clam peccaverit, sive aperte.*

VIII. Tertio loco, Scribarum & Phariseorum quaestio & illustrium Scholarum sententiae sunt examinandae, Scholae nempe Hillelis, qui princeps erat Synedrii, & Samæi, qui pater seu a prin-



principe secundus, Hillelis discipulus; de quibus Hieronymus ad Efa viii. *Sammai*, inquit, & *Hillel non multo prius, quam Dominus nasceretur, ortos esse in Judaea. Sammaani* assererebant uxorem esse dimittendam, או משום ערוה או משום ערוה כל דבר דבר *Hilleliani* vero *sive ob turpitudinem, sive ob causam aliam qualemcunque*, ac si disjunctive verba a Mose essent prolata. Tertia sententia erat *R. Akibæ*, quæ ab illa Hillelis non differt, nisi quod divortii indulgentior, pro viri libitu, quamlibet repudiari posse, censeret. Id discimus ex *Talmude*, ubi in *Cod. Gittin. fol. 90. r.* verba *Misnæ* ita habent: בית שמאי אומר לא יגרש אדם את אשתו אלא אם כן מצא בה דבר ערוה שנאמר כי מצא בה ערוה דבר וביה הילל אומרים אפילו הקדיחה חבשילו שנאמר כי מצא בה ערוה דבר רבי עקיבא אומר אפילו מצא אהרה *Schola Sammaana statuit, uxorem a marito non esse repudiandam, nisi si invenerit in ea rem turpitudinis, juxta id, quod scriptum legitur, quoniam invenit in ea turpitudinem rei. Sed Schola Hilleliana, etiam ob cibum ejus nimio ardore coctum, repudiandam censet, juxta id, quod scriptum legitur, quia invenit in ea turpitudinem rei. Rabbi Akiba insuper dicit; Si invenerit aliam ea pulchriorem aut sibi commodiorem, repudiare licet, quia scriptum legitur, si ea non invenerit gratiam in oculis ipsius. Quibus in Gemara Babyl. hæc statim subjunguntur: Hoc modo Scholam Hillelianam & Sammaanam disputasse, traditur: Nonne disertis verbis in lege nominatur דבר i. e. res, ratio, causas. verbum? rogabant Hilleliani. Et iterum Sammaani; Nonne etiam expresse nominatur turpitudinis? Regerunt Hilleliani, Si in Lege turpitudinis, sine adjettione rei vel causæ, sola mentio facta fuisset, non male dixisset aliquis, ob turpitudinem uxorem posse ejici, sed non ob rem s. causam, unde etiam vox דבר res s. causa adjecta est. Et si דבר rei s. causæ tantum mentio fuisset facta, non autem turpitudinis, forte quis dicere potuisset, repudiata ob rem seu causam aliquam, alteri nubere fas fuisse, non item repudiata ob turpitudinem. Ideo etiam vox turpitudinis adjecta est. Respondent Sammaani. Observanda autem est vis vocabuli דבר seu Rei, ut alibi, ita hic. Alibi legitur (Deut. xix. 15.) in ore duorum testium, aut in ore trium testium, firmabitur דבר res qualiscunque. Ut דבר res ibi ad duos testes attinet, ita etiam in lege de repudiis ad duos testes attinet. (ut scilicet ejus rei s. turpitudinis non sine duobus testibus uxor rea peragatur.) Replicant Hilleliani: An autem scriptum est, turpitudinem in re? Sammaani: An ergo scriptum est, turpitudinem rei, ut non*



ut non solum turpitudinis in re, sed etiam sive turpitudinis, sive res, seu causa qualiscunque intelligatur? R. Akiba dicit: Etiam si invenerit aliam.

IX. Judæi igitur tempore Christi, Hillelis & R. Akibæ sententiam amplexati liberius sibi jus uxores dimittendi tribuebant, quemadmodum hodieque Hillelem magis sequuntur. Silentio præterire nequimus iudicium Karæorum, quod hac de re Elias ben Mose Karæus exhibuit *Tractatu de Mulieribus cap. xii. de conditione uxorum repudiandarum.* אין האשה מתגרשת ברצון בעל לבר אלא בערות דבר ככתוב והיה אם לא תמצא חן בעיניו כי מצא בה ערות דבר לא כשתתגרש כאשר לא תמצא חן בעיניו כפי מה שאמרו בעלי הקבלה אפילו הקדושה הבשילו אפילו מצא אחרת נאה הימנה כמאמר רבי עקיבא ופירשו לפי זאת הדעת מלת כי בטעם או והטעם או מצא בה ערות דבר כי פשט הכתוב מכחיש זאת הדעת לפי שפירוש הפסוק הוא כשיקח איש אשה ולא תמצא חן בעיניו מפני שמצא בה ערות דבר לא שלא מצאה חן בעיניו בלי סבה *Non licet pro arbitrio marito uxorem repudiare, sed propter turpitudinem rei, juxta id, quod scriptum legitur (Deut. xxiv. i.) eritque, si non invenerit gratiam in oculis ejus, quia invenit in ea turpitudinem rei. Non quasi repudiare liceat, quando non invenit gratiam in oculis ipsius, quemadmodum loquuntur Traditionarii, etiam ob cibum adustum, & si aliam ea pulchriorem sibi que commodiorem invenerit, sicut R. Akiba: qui juxta eam opinionem voculam כ explicant in sensu ut vertatur: aut in ea turpitudinem rei invenit. Siquidem literalis sensus hanc opinionem non admittit. Ita enim iste versus explicandus est: Quod si vir uxorem accipit, qua in oculis ipsius gratiam non invenit, quia invenit in ea turpitudinem rei; non autem, quando in oculis ejus gratiam non invenit sine causa.*

X. Pergit Elias: Hac de causa Sapientes necessario explicare tenentur, quomodo hac voce ערות turpitudinis rei. Stauerunt autem turpitudinem rei esse rem intolerabilem, כגון מום גדול veluti magnum vitium, quod perferri nequit. Vitia illa primo diviserunt in duas partes generales. Primum est in anima ejus, quatenus in materia Legis peccat. Idque iterum dupliciter, sive vitium ipsa committat, quale est profanatio sabbatorum, manducatio impurorum; sive alios peccare faciat, & turpitudine afficiat, ut quando se non separat a sua impuritate, & comedenda dat impura, reptilia & alia. Alterum vitium est in corpore & proprietatibus ejus. Idque triplici modo: Primum est in forma & facie, dupliciter. i. vitium parvum, quando maculas in facie instar lentis accipit, & maculas ex ulcere sive apostemate ortas, ac infirmi-



infirmetas visus, oculi licet sint integri, ubi album punctum duntaxat est in oculis ejus, quod visui non nocet. 2 vitium est oris & narium fœtor, cœcitas oculorum, aurium surditas, mentis defectus, insania, & si muta sit; atque in genere omnes morbi incurabiles, quibus affligitur & contumelia afficitur & contemnit liberos suos, eisque maledicit. Secundum commune vitium corporis sunt opera ejus mala, sicut mulier sedit rixosa & litigiosa. Tertium est, quod se ipsam prostituat in pla: eis in viro marito, & fornicetur, publiceque concubitus querat, tunc maritus eam repudiare tenetur, ut qui ipsi propter suspicionem prohibita, neque tamen ei omnino dotem dare tenetur, sed quæcumque תרומתו neduniocha, i. e. bona & ornamenta nuptialia in ejus sunt potestate, accipit & repudiatur. Neque se liberat a suspicionem per juramentum, sed per aquas Sora. Hæ autem stante Templo obtinebant. Ideoque in Captivitate (suspectam) repudiari oportet. Sapientes autem ex jure legis decernunt, uxorem non esse repudiandam nisi propter magnum vitium, quod est intolerabile, quemadmodum judicatum fuerit a Synedrio, non juxta id, quod repudians dixerit, cum ille etiam quod exiguum & leve erat, exaggerare & magnum facere possit. Quibus addi possunt Rambami, Ralbagi, & reliquorum recentiorum Hebræorum Traditionalium sententiæ, quas allegavit Buxtorfius de Spons. & Div. §. 89. & seq.

XI. Quarto sequitur Christi decisio, & objectionis Pharisaicæ solutio Matt. v. 32. xix. 4-9. Utraque nititur prima conjugii institutione, & voluntate Dei in ea declarata Gen. 11. 24. quam supra proposuimus. Neque tamen ea verba, ἀπ' ἀρχῆς δὲ ἔγένοντο ἄβ initio autem non erat sic, simpliciter sunt intelligenda, quasi nullus divortio locus fuisset a mundi incunabulis, postquam homo lapsus est; cum digitum intendat Salvator in Pharisaeorum opinionem de omnimoda libertate ob quamcunque causam. Non enim potuisset Christus divortium permittens in causa fornicationis, ad primam provocare Institutionem, nisi ob eandem causam, olim postquam homines scortari cœperunt, id permillum fuisset. Atque ita explicari debet divortium, quod Christus ad σκληροκαρδῶν Judæorum non propter fornicationem, sed quamcunque causam usurpatum & permillum esse, docet Matth. xix. 8. unde omnia divortia olim Judæis propter obdurationem tantum fuisse permilla, neutiquam inferendum.

XII. Doctissimus Lightfootus in *Hor. Heb. ad Matth. v. 32.* existimat, permissionem Mosaicam de rep: iis non abrogare Sal-

S

vato-



vatores, sed tolerare, intra limites tamen Moſaicis compactam, hoc eſt in cauſa adulterii. Sed quomodo id conſiſtet cum duritie cordis Judæorum, ob quam Moſes illis divortium permiſſiſſe dicitur? Ergo iterum Salvator in N. T. permitteret & toleraret divortia ob *σκληροκαρδίαν* noſtram. Alterutrum enim verum eſſe oportet; vel Moſis permiſſionem de pluribus cauſis divortii, ob *σκληροκαρδίαν* Judæorum, eſſe intelligendam, vel ſi de cauſa fornicationis duntaxat permiſſio Moſaica explicetur, ob duritiem cordis noſtri nobis æque nunc in N. T. divortia permiſſi, ac in V. T. Ergo, dices, revocatione legis de divortiis inſtituta per Chriſtum lex correctæ fuerit, ſi non ob eaſdem cauſas Moſes ac Chriſtus divortium permiſerint? Reſp. Hoc ſequeretur, ſi Moſes ob quamcunque cauſam uxorem dimittendi præceptum dediſſet; id autem falſum eſſe, liquet ex Deut. xxiv. 1. 2. 3. quæ verba non ſunt imperatoria, ſed hypothetica, atque ex verbis Chriſti Matth. xix. 8. Neque ex Mal. ii. 16. ejuſmodi dimiſſionis præceptum probari poſſe, vidimus in *Difſert.* 11. Nulla igitur hic legis correctio, ſed abuſus in lege ad tempus, in gratiam populi duræ cervicis & rebellis, ne uxores omni ſævitia & crudelitate proſequerentur, proſcriptio duntaxat. Adeoque permiſſio & præceptum, tolerantia & approbatio, immunitas a pœna civili, & immunitas a culpa, minime confundenda. Moſes toleravit divortia ob plures cauſas, Chriſtus ea approbat propter ſolam fornicationem. Ita Grotius ad Matth. v. agnoſcit, juſ illud in Deut. conſtitutum non effeciſſe, ut recte id, de quo agitur, fieret, ſed ut fieret tantum impune.

XIII. Reſtat nunc difficultas maxima in *Exceptione* Chriſti, qua juſtam dimiſſionis ſive divortii cauſam oſtendit voce *πορνείας*, in cujus ſignificationem non immerito inquirunt tam Philologi quam Theologi. Exſtat autem duobus in locis Matthæi cap. v. 32. *εγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὅς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτῆς, παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσαι, καὶ ὅς ἂν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται* Ego vero dico vobis, quiſquis dimiſerit uxorem ſuam, extra rationem ſcortationis, facit ut ea mœchetur; & quiſquis dimiſſam duxerit, mœchetur. Cap. xix. 9. *λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι ὅς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτῆς ἐν μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται. καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσῃς μοιχᾶται.* Dico autem vobis, quiſcunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœcha-



tur, & qui dimissam duxerit, moxohatur. Quæ exceptio fornicationis Marc. x. 11. 12. & Luc. xvi. 18. pariter venit intelligenda.

XIV. Non desunt viri Magni & Doctissimi, qui in N. T. ad alios etiam casus extra fornicationem divortia extendenda esse judicant, quorum argumenta, ut huic difficultati satisfiat, ponderare operæ erit pretium. Illustris Grotius, quamvis vocem *πορνεύει* tum apud Græcos, tum apud sacrorum librorum scriptores, perpetuam impuditiæ significationem habere concedat, non putat tamen, quod hic dicitur, extra adulterii causam, tam rigide esse accipiendum, ut nulla alia causa possit animum tranquillum reddere; quo sine verba *ἐκτός, εἰ μὴ* cum Origene docet, poni magis enuntiando, quam jubendo. Neque rarum esse, ut in tali sermone id, quod ex occasione dicitur, exempli magis, quam astringendi vim habeat. Verba itaque *παρεκτός λόγος πορνείας* Matth. v. 32. interpretatur, cum nulla subsit adulterii causa; & cap. xix. 9. cum Codice Complutensi legit *μὴ ἐπὶ πορνεία* non ob adulterii causam, ut ita tales locutiones speciem facti declarent magis, quam strictam exceptionem. Et posito esse exceptionem, eandem tamen manere sententiam, cum in omnibus legibus, etiam maxime odiosis, receptum sit, ut ubi eadem est ratio, jus idem valeat v. gr. si uxor veneno vitæ mariti insidiata fuerit. Denique monet, Christi hæc verba non ulterius extendenda, quam ad conjuges, quorum uterque Christi disciplinam profitetur.

XV. Verumenimvero particula exceptiva *παρεκτός*, quemodocunque reddatur, vel *extra*, vel *preter*, *preterquam*, vel *nisi*, vel *excepta causa πορνείας*, integra servanda est; Hebræi dicerent *וְהָיָה כִּי יִשְׁאָלְךָ אִישׁ אֶת אִשְׁתְּךָ וְעָנִיתְּ אָמַרְתְּ אֵלָיו כִּי לֹא הָיָה זָרָה לִּי* quomodo Eccles. 11. 25. *וְהָיָה כִּי יִשְׁאָלְךָ אִישׁ אֶת אִשְׁתְּךָ וְעָנִיתְּ אָמַרְתְּ אֵלָיו כִּי לֹא הָיָה זָרָה לִּי* *excepto* sive *preter me*. Id etiam satis evincunt scopus ac intentio Christi, atque *ἀντίθεσις* ad Phariseorum sententiam, quibus ob quamcunque causam divortia licita esse asserentibus Christus contradicens, non nisi ob unicum fornicationis causam ea admittit. Nec tantum Syrus, sed & reliqui interpretes hic exceptivam particulam habent, ut & Matth. xix. 9. quem textum nimis audacter Grotius mutavit, cum in aliis Codicibus constanter legatur *εἰ μὴ*, & *pretermissa* particula *εἰ*, simplex negativa relinquatur. Quis igitur non videt, nullum locum esse divortio sive dimissioni, ubi non intervenit fornicatio? cum a Christo non sit exemplum aliquod propositum, aut facti species expressa, ex qua deinde cætera colligi debeant, sed exceptio unica & adæquata inculcata, præter quam alias causas fin-



gere haud licitum est. Decisioni Salvatoris hic acquiescendum, cujus causa e lege matrimoniali desumpta, quia conjugii vinculum nulla alia re tollitur, quam per adulterium, quod cum ipsa ejus natura pugnat I Cor. vi. 16. quam alii casus non evertunt, ideoque eorum par non est ratio. Et quomodo nudam enunciationem fingere licet citra legem, ubi causa juxta eam definitur, extra quam nullo modo licita aut legitima sint divortia. Neque distinctio Grotiana inter fideles & infideles, alicujus momenti est, Christo causam universalem omnes homines concernentem, adferente, citra distinctionem & limitationem, quod scilicet, quos Deus conjunxit, homo separare non possit Matt. xix. Reliqua, quæ Grotius habet cum aliis, mox videbimus.

XVI. Nunc expendenda etiam sunt argumenta Doctissimi Seldeni, qui *Ux Ebr. Lib. III. Cap. præcipue XXI. I.* latiore vocis *πορνείας* significationem quaerit, ut ita plures causas divortii a Christo concessas esse evincat. Eo fine tria perpendit, 1. qua lingua hæc de divortio a Christo dicta, & a Matthæo scripta. 2. quibusnam dicta fuerint vocibus. 3. quid in eo seculo voces illæ, adeoque *πορνεία* significarint. Supponit a Christo hæc Syriace vel Rabbinate fuisse prolata, & a Matthæo Hebraice scripta. De priori vix quisquam dubitaverit. Posterius plerique negant, quod tamen minorem difficultatem habet, si ipsi Matthæo versio græca tribuatur, quod nos nunc in controversiam non trahemus, neque in eo causæ præsidium est, si vel Hebraice scripserit Evangelista. Jam vero quid inde? Si Syriace locutus, inquit Seldenus, exceptionem priore in loco sic protulisse videtur מן מלה דזניותא לבר מן מלה דזניותא *extra causam fornicationis*, & hac voce par esse, ut in secundo loco eum usum esse credamus, cum utrobique extet *πορνεία*, etsi Syrus interpres ibi substituatur גירא גירא *quæ non sit adultera*. Si vero Rabbinate locutus, maxime cum Pharisæis, quod verisimilius, eum vocibus usum, quæ tunc ea dere in Scholis in usu. Si illi igitur rogantes dixerint Rabbinate, anne fas est dimittere uxorem כל דבר משום כל דבר *quacunque ex causa*, quisquis Hillelianam illam improbasset sententiam, Sammaranam amplexus respondisset. *si quis dimiserit uxorem, משה ערה משה ערה nisi ob turpitudinem, i. e. causam turpitudinis*, moechatur.

XVII. Tertio vocem Syriacam, si Christus Syriace locutus, idem denotare ait, quod Hebræa גירא i. e. strictiore s. primaria signifi-



gnificatione tantum concubitus citra matrimonium legitimum, non minus nuptiarum, quam innuptiarum; latiore autem & secundaria, alia etiam turpia illis indicari; quam secundariam vocum ונה & ונה & ונה πορνείαν, πόρνης & πορνείας significationem probat ex locis illis, ubi de idololatria in V. T. occurrunt, item ex Philone, lib. Sapient. c. 14. 12. 1 Cor. 5. 1. Act. 15. 20. Matth. 21. 31. 32. coll. cum cap. 9. 11. Si vero Rabbince locutus אלה עמה רבו כשם נישא nisi ob causam turpitudinis, phrasi tunc temporis Scholastica, sensum in idem recidere posse, autumat. ונה enim pro eo, quod est ἀδελφὸς ὁμοσύνῃ ἀδελφὸς ἀγαπᾶται resturpis qualiscunque, sumi, non solum Deut. xxiv. 1. sed & cap. præced. 23. 4. sensu æquivoco, sicut Ezek. 16. 37. Nah. 3. 4. Id inde liquere ait, quod simulac Christus ipsis respondisset, non extra πόρνης rationem esse uxorem ejiciendam, ita illis satisfactum, ut nec ultra omnino opponerent; quod non facturi fuissent, si hoc responso tum novam prorsus tum plane tunc inauditam de divortii jure disciplinam intulisse visus esset Dominus. Denique tunc nullam fuisse sententiam de divortiorum jure, ob adulterium tantum illud admitti debere, imo adulterium legitime probatum capitale fuisse, nec ita divortio luendum. Hæc sunt, quæ Seldenus consideranda proponit, aliisque Definitionem relinquit. Daphnæus Arcuarius in sua *Consider. Matrim.* germanice scripta, *Par. 1. cap. v.* hisce iisdem argumentis Seldeni ob plures causas nunc in N. T. divortia esse licita, probare conatus est.

XVIII. Ad illa omnia, quæ quidem speciem habent, sed tanti non sunt, breviter respondemus. *Primo* loca illa a Seldeno citata Exod. 34. 15. Lev. 17. 7. 20. 4. 6. 1 Par. 5. 25. s. in quibus vox scortationis de idololatria usurpatur, minus firma sunt, fatente ipso Grotio, nihilque probant, cum in ea translatione & impropria locutione maneat adulterii s. fornicationis significatus, dum foedus cum Deo initum matrimonii similitudinem habet; sicut frequentissime a prophetis usurpatur scortatio spiritualis idololatriæ Jer. 11. Ezek. xvi. Hof. 1. 1v. & passim. Adulterium corporale summa inter homines perfidia est, longe tamen turpius & deterius spirituale. Manet etiam fornicationis significatus istis in locis, quæ de reliquis Iudæorum peccatis & abominationibus agunt Ier. 3. Ezek. 16 51. Hof. 1. 2. 4. 1. 4. 12. Nah. 3. 4. Psalm. 73. 26. Pl. 106. 35. 39. Num.



Num. 14: 33. Quo etiam pertinet ψυχὴ πεπορευμένη scortans anima, quæ se vinolentia aliisque vitis prostravit constuprandam, quod citat ex Philon. Tract. περὶ τῆς μιᾶς αὐτῆς πόρνῆς &c. initio. Quibus alii addunt locum Iudic. XIX. 2. ἦν ἡν in quo & Grotius non agi putat de scortatione, cum nil novi fuerit, consuesse concubinam cum Levita. Sed cuilibet insipienti textum fit manifestum, notatu haud indignam fuisse scortationem illam & malitiam sceminæ, cui postea poena respondit, quod scortatione non contenta sponte maritum deleruerit, sive cum Levita scortata dicatur juxta Iun. & Tremell. sive *super, in & contra eum, sive apud eum*, dum adhuc esset domi illius. Notatu, inquam, dignum, quod corruptis illis temporibus scortationi spirituali sive idololatriæ, de qua capite præcedenti, & corporali essent dediti.

XIX. Secundo addimus, Græcam vocem πορνείας laxiorem habere significationem, ex nullo auctore Græco solide demonstratum a Seldeno. In Philone de *Special. Leg. ad præc. 6. & 7.* πορνείαν pro concubitu, qui corpore prostituto habetur, seu ex arte meretricia sumi, faterur. In Demosthenis orat. *περὶ τῆς παραπροσβ.* sive de falsa legatione, circa finem, ubi ultimum ψήφισμα extat, hæc invenimus ἢ περὶ πορνείας ἔλεγεν & de scortatione s. stupro differit. Paulo post: πάντες περὶ πορνείας λόγοι omnes de scortatione s. impudicitia orationes adverso anni fluxerunt. Apud eundem Demosth. Orat. in *Neeram* circa finem, vocem πόρνῆς proprio significatu etiam deprehendimus: πάντεσσι ἐξ ἑσθιά ἐσσι τοῖς πόρνοις συνοικεῖν οἷς ἂν βέλονται omnino scortis licentia dabitur nubendi, quibus volent, suosque liberos ejus esse dicendi, qui in mentem eis venerit. Paulo post: τῶν πόρνων ἐργασία scortorum questus ad civium filias devolvetur; describiturque ibidem πόρνη, quæ multis & impudicis modis sæpe cum multis eodem die rem habuit, ut unicuique fuit libitum. Cui addi possunt Æschines, Athenæus, Aristophanes, Xenophon, Lucianus, similesque Græci scriptores a Stephano, Scapula, Constantino, Budæo aliisque citati. Dicitur est πόρνη, ait Suidas, quod longe nuat, & oculorum nutu vel eminus suam libidinem significet. Stephano dicitur a πορνῶ, πορνῶ, s. πορνῆμι & πορνάσω vendo, qui corpus suum prostituit & veluti vendit, qui corpore questum facit.

XX. Tertio notamus, in locis Act. xv. 20. & 1 Cor. 5. 1. manere signi-



significationem fornicationis. Sive enim priore loco cum Salmasio *artem τὸ πορνικὸν & professionem meretriciam* intelligas, sive cum Heinſio *oblationem meretricis*, sive cum Beza *fornicationem spirituales i. idololatriam*, sive cum Heideggero *fornicationem in polygamia & divortiiis*, sive cum Curcellæo *commixtionem soluti cum soluta*, sive cum Spencero *venere omnem extraconjugialem*, impuditiæ fenus non tollitur, sicut & ipse Seldenus *l. vii. de Jur. Nat. & Gent. cap. xii.* olim in eorum sententiam propendisse se, fateatur, qui locum *de quovis illicito concubitu* capiunt. Et quis non miretur, Seldenum, ut hypothesi nunc inserviat, ne quidem in loco posteriore *1 Cor. v. i.* significationem *fornicationis* admittere? Id utique erat *flagitium*, sed non minus *fornicatio & תורה turpitudine*. Conf. *Eph. v. 3. Gal. v. 19. Col. 1. 11. 5.* Neque ex *Matth. xxi. 31. 32.* coll. cum *ix. 11.* & locis parallelis *Mar. 11. 16. Luc. v. 30.* ubi modo publicani & meretrices, modo publicani & peccatores junguntur, inferre licet, vocem *πορνείας & πορνείας* non retinere propriam significationem, cum meretrices tantum grandium peccatorum reæ peragantur. Omnis enim *fornicatio* est peccatum, sed non vice versa.

XXI. Quarto respondemus, si Christus Rabbinice locutus, responderit cum Schola Sammæana *ערה דבר משום אלא כשם דברי* nisi ob causam turpitudinis, & solam fornicationem indigitarit, non existimamus, hoc responso novam, & plene inauditam de divortii jure disciplinam intulisse visum fuisse, sicut sibi persuadet Seldenus. Quid enim per turpitudinem intellexerit, discimus ex locis Talmudicis supra citatis, discimus ex hodiernis Iudæorum Magistris, a nobis hic etiam consultis, qui omnes, Samæum & Scholam Sammæanam per *תורה turpitudinem*, non rem turpem, quomodo *Deut. xxi. 11. 14.* sumitur, sed solam fornicationem & fornicationem intellexisse, constanter confitentur. Quia Sammæani procul dubio animadverterunt, libertatem illam dimittendi uxores pugnare cum prima Institutione, Mosis verba omnibus viribus restrinxerunt, etsi nobis ea laxiora videantur ex loco parallelo *Deut. xxi. 11. 14.* & videri debeant ob permissionem ad duritiem cordis eorum.

XXII. Quinto, cur, si Christus per *תורה τὸ πορνικὸν* intellexerit rem turpem, seu turpitudinem qualemcunque, Matthæus, qui ubique ferè imitatur *LXX.* non dixit *ἀσχημοσύνην turpitudinem*, sive *ἀσχημον τὸ εἶγμα turpem rem*, sicut Græci *Deut. xxiv. 1. & xxiii. 14.* Sexto, si Christus vocem *πορνείας* veller improprie intellectam de



re turpi qualicunque, annon eidem difficultati nos implicuisset, & totam rem indecivam reliquisset? ad quid igitur illa exceptio solius *πορνείας*? Qua omnis generis scortatio quidem intelligitur, sed non omnis generis turpitudine. Si enim isto nomine alias causas comprehenderes, consequens foret, non directe & sufficienter a Christo fuisse responsum.

XXIII. Nec juvat Seldenum dicere, tunc nullam fuisse sententiam de divortiorum jure, ob adulterium tantum illud admitti debere, imo adulterium legitime probatum capitale fuisse, nec ita divortio luendum. Quæ etiam Grotii objectio est. Fatemur enim, ubi ea executio locum habet, ibi expirare hanc de divortio quæstionem, ut olim tempore Synedrui, ita & nunc; ibi etiam cessare quæstionem, an parti nocenti secunda vota concedenda? Ideoque Christus in casu divortii non utitur voce *πορνείας adulterii*, sed *πορνείας*, quæ qualemcunque scortationem designat. Ubi uxor perfida ad supplicium rapi nequit, & ubi negligens vel indulgens est Magistratus politicus, ut adulteris non irroget pœnam capitalem, a parte innocente divortium jure peti potest, nisi ea nocentem serio respicientem semel in gratiam recipere velit. Ita expensis & ad stateram vocatis Doctissimorum virorum sententiis, huic difficili argumento aliquid lucis accessit.

XXIV. Denique quinto cum illa Salvatoris exceptione conciliandus est Apostolus, qui ei contrariari videtur 1 Cor. VII. 15. *Εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωρίζεσθε, & δεδάλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τῆς πιστοῦς. ἐν δὲ εἰρήνῃ κένληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός.* At si infidelis sese separet, separatus esto: non est servituti subiectus frater aut soror in hujusmodi, sed ad pacem vocavit nos Deus. Sed nemo non videt, in Matthæo quæri de causa divortii a parte innocente iuste faciendi, quæ tantum fornicatio est, hic autem de divortio a parte nocente temere & iniuste facto agi; sive Christum loqui de divortio voluntario, Paulum vero de involuntario, quod altera pars patitur. Si enim reconciliari nequeat pars deserens, innocens tandem a vinculo absolvitur, quia desertio non minus ac fornicatio matrimonium quoad substantiam tollit, de cuius essentia est conjugii firmiter adhærere, ideoque ab Apostolo adulterio æquiparatur, ob præsumptionem adulterii in desertore, ejusque periculum in parte deserta. Alia ergo est ratio conjugis, ob levem causam dimissæ, quam qui ducit, mœchatur, alia desertæ.  
De



De quibus videtur eruditam Spanhemii Dissertationem *Par. III. Dub. Evang. CXLVIII.* ubi ostendit, Paulum tantum addere casum, qui Christi tempore non acciderit, & loqui de conjugibus disparem religionem profitentibus.

XXV. Non desunt tamen Orthodoxi, qui de ista interpretatione dubitant, an Pauli mens sit, malitiosam desertionem rumpere vinculum vivo marito? in solo casu disparis Religionis separationem Apostolum concedere existimant, quoad separatam habitationem, ne ob odium religionis tyrannicam dominationem & continuas lites ac injurias experiri cogatur fidelis; & jubere, ut si quæ rixæ ortæ inter conjuges, uxor ut dignitate inferior, reconciliationis faciat initium, omnique officiorum genere viri animum placare conetur; quod si vero propter viri immanitatem tentata reconciliatio effectum non sortiatur, ut tunc seorsim vivat, & viri separationem æquo animo ferat, non tamen se putet a viri lege liberam, ut alii nubere possit. Illud reconciliationis officium ab Apostolo vocari servitutem.

XXVI. Perplexum hoc esse argumentum, minime dissimulabo, quia Apostolus disertis verbis non dicit, nubat frater aut soror, aut quod de vidua, si vir ipsius obdormierit com. 29. *libera est ad nubendum, cui velit*, sed tantum, *non est servituti subiectus frater aut soror.* Unde geminus scrupulus nascitur, primo an parti ob disparem Religionem desertæ, novum conjugium sit permissum, secundo an ista separatio analogice ad desertionem quamvis malitiosam & totalem sit extendenda. Ideoque Celeber. Spanhemius l. c. §. 9. monet, summam prudentiam ac circumspeditionem, & cautiones omnes possibiles esse adhibendas, antequam permittatur conjugii desertæ libertas ad novas nuptias convolandi. Præstare ejusmodi conjugem *ἀγαπῶν* vivere. Distinguendam partem desertam donum continentia habentem ab illa, quæ id nec habet, nec impetrare potest. 2. distinguendam partem desertam, quæ vel consensit in divortium, & cum deserente collusit, vel quæ vita flagitiosa aut contentiosa occasionem præbuit divortio isti, a parte desertæ, quæ patitur divortium, & mere quidem sine culpa & invita, ob meram mariti levitatem. 3. distinguendos esse casus, secessionem sine causa, & secessionem ob negotia, diurnam & ad tempus breve, sine specie desertionis, ob nullam causam antecedentem, & cum specie desertionis; nec enim omnem sepa-



separationem censendam esse desertionem. 4. moram interponendam convenientem & diurnam, & perquisitionem diligentem instituendam, ut constet de causis tum secessionis, tum moræ, & non nisi post citationem vel denunciationem publicam aliquoties repetitam, post omnia media adhibita investigandi & reducendi abentem, post multorum annorum intervallum, post cognitionem causæ, & in Senatu Ecclesiastico & in Politico institutam, libertatem concedendam parti desertæ ad novas nuptias convolandi. Quibus verbis tam accurate totum illud negotium vir eruditione & experientia excellentissimus expressit, ut ea hic integra apponere me non pigeat.

XXVII. Si vero de jure sit sermo, Apostoli phrasim, *ὁ δὲ ἀδελφεὸς οὐκ ἐστὶν ἐπιούριος* non est servituti *subjectus* frater aut soror in hujusmodi, id omnino inferre videtur, si conferatur cum com. 39. ubi *servitus dicitur* vocatur & Rom. vii. 2. 3. (coll. lxx. ad Num. v. 29. & Syrac. ix. 9. xli. 21.) *ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ* *subjecta mulier* dicitur viventi marito, & post ejus mortem liberata a viro. Quæ subjectionis, Lege gentium receptæ, origo non tam ab ordine creationis, cum sociæ & æqualis viro mansit Gen. ii. 18. quam a transgressione arcessenda est Gen. iii. 16. Quod autem separatio ad malitiosam desertionem extendenda sit, id ipsum jus naturæ docere videtur, quia iniquum, partem innocentem præstare culpam alienam, & quidem talem, maxime si non sentiat dotium continentia sibi datum. Neque tamen in æquali gradu collocantur ab Apostolo deserens & desertæ pars, cum hæc libera declaretur com. 15. illa vero cælebs manere debeat v. 11. neque igitur novo conjugio a parte desertæ inito, desertori aut desertrici novæ nuptiæ facile sunt permittendæ, nisi serio resipiscentiam agat, & alia pericula metuenda hoc modo vitentur.

XXVIII. Præter hæc duas causas, fornicationem & desertionem, sive quoad substantiam, unicam tantum, violationem sc. vinculi matrimonialis, cui proxime accedit pertinax & incorrigibilis debiti conjugalitatis denegatio 1 Cor. vi. 4. Gen. ii. 24. nullæ aliæ, etsi graviores forte videantur, sunt admittendæ. Apostolus propter infidelitatem, quæ scortatione major est, non vult dissolvi matrimonium 1 Cor. vii. 12. 13. Nec conjux si conjugem ad impietatem & idololatricam seducere conetur, mox deserendus est, nisi vitæ insidias struat, quo tamen casu non statim ad alia vota transire licet, nisi longum tempus intercesserit & frustra tentatio reconcilietur. Quorum ergo sævitia & malitia a Ministerio Eccles. & Magistratu coerceri nequit, non quoad vinculum, sed ad tempus, quoad cohabitationem separari possunt, ad quam separationem tamen non facile procedendum, judicant gravissimi viri Beza, Voetius, Gerhardus, Theologi Leydenenses in *Coc. Oper. Tom. vi. Conf. xiv.* Ienenses & Lipsienses, apud Dedek. præcipue in *Append. Vol. i. Th. Conf. ad l. xv. Sect. xv. & v.* Aliquo tamen in casu adulterii divortium non esse concedendum statuitur 1. si mulier vim passa fuerit, aut ex ignorantia cum eo rem habuerit, quem virum suum esse credebat. 2. si post cognitum adulterium cum conjugem rem habuerit. 3. si auctor fuerit conjugi, ut fornicaretur. 4. si uterque conjux eodem crimine teneatur. Denique qui incestus, Sodomie & bestialitatis nomine rei peraguntur, ob delicti gravitatem non a conjugem separandi duntaxat, sed a Magistratu severe sunt puniendi.

SOLI DEO LAUS & GLORIA.